

CANCELL:  
MARTIS B:  
. 17 17:

oo Da

בָּנָה  
*DISSE*  
 TATIO PH<sup>I</sup>LOLOGICA  
 DE  
 וְשִׁקְמַת לֶפֶת  
 h. c.  
**OSCULO MANUS ORI  
DATO,**  
 Occasione Jobi XXXI, 27.  
 QVAM  
 IN ALMA PHILYREA  
 CONSENSU INCLYTI SAPIENTUM  
 ORDINIS  
 PUBLICÆ ERUDITORUM DISQVISITIONI SUBFICIENT  
 PRÆSES  
 M. GERHARDUS HERMANNUS  
 MENCKE,  
 OLDENBURGENSIS,  
 ET  
 RESPONDENS  
 JOHANNES HENRICUS Herbst/  
 Otterviischenl. Misn.  
 ad d. XIX. Sept. A. R. S. MDCCXI.  
 L I P S I Æ,  
 LITERIS BRANDENBURGERIANIS.

VIRO  
ILLUSTRI, ATQUE EXCELLEN-  
TISSIMO,  
DOMINO  
IOH. BURCHARDO  
FREYSTEINIO,  
REG. MAJ. POLON. ET ELECT.  
SAX. CONSILIARIO AULICO  
SPLENDIDISSIMO,  
PATRONO, ATQUE MACENATI SUO  
SANCTE ETATEM DEVENERANDO,  
LEVIDENSES HASCE PAGELLAS  
DEMISSE  
OFFERT  
M. GERHARDUS HERMANNUS MENCKE.



בְּנֵי

נשיקת יד רפָה  
h. e.

OSCULO MANUS ORI DATO  
DISSERTATIO PHILOLOGICA.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

- §. I. Varia oscularum genera enumerantur.
- §. II. Osculum idololatricum occasione Jobi XXXI, 27. recensetur.
- §. III. Varia bujas oraculi versiones in medium proferuntur.
- §. IV. De emphasi verbi נשׁק disquiritur.
- §. V. Sensus particula ל in voce רַבִּי evolvitur.
- §. VI. Sententia illorum, qui tropice hanc phrasim explicant, refutatur.
- §. VII. Aliene aliorum interpretationes rejiciuntur.
- §. VIII. B. Seb. Schmidii expositio refellitur.
- §. IX. Nostra sententia adducitur, Ex antiquitate demonstratur.

- §. X. Argumentum primum a συναφείᾳ textus desumptum affertur.
- §. XI. Argumentum secundum a nativa verborum significazione producitur.
- §. XII. Consensus Symmachii in medium profertur.
- §. XIII. Objectiones dissentientium diluvuntur.
- §. XIV. Locus Ps. II, 12. explicatur.
- §. XV. Origo verbi Latini, adorare, investigatur.

## §. I.

Varia oscularum genera enumerantur.



Ui abstrusos antiquitatum Hebraicarum recessus pervestigare, in earumque contemplatione animum exercere aggreditur, inter alia ardua non minus, quam jucunda veterum monumenta, sumnum in annotandis variis oscularum generibus studium in admirandis ponet. Nunc enim גְּדוֹלָה נִשְׁקָח שֶׁל osculi magnificentiarum occasione 1. Sam. X, 1. nunc נִשְׁקָח שֶׁל בַּרְיָם osculi compitorum, sive occursum, occasione Exod. IV, 27. nunc נִשְׁקָח שֶׁל פְּרוֹשָׁתָן osculi separacionis, vel discessus, occasione Ruth. I, 14. nunc נִשְׁקָח שֶׁל קְרִיבוֹתָן osculi propinquorum, occasione Gen. XXIX, 11. mentionem injiciunt. Evidem DR USIUS osculum precatiorum addit, quam vero sententiam, Hebræorum testimonio destitutam, & sinistræ tantum verborum interpretationi innixam, cum BUXTORFIO, in Lexico Talmudico, p. 149. merito repudiamus. Cum itaque osculum superioribus seculis, tum apud nationes alias, tum apud Hebræos admodum fuerit in usu, asperrima Nomadum rusticitas culpata fuit, qui ne quidem filios suos osculabantur, & quorum Reges nulli mortalium oscula ferebant, ut docet DANIEL FESSELLI.

U3

U S in adversariis sacris, l. 3. c. 7. p. 268. Nec desunt, qui duetu  
Sacrarum Literarum alia, præter jam commemorata, osculo-  
rum genera consignarunt. Proferunt enim in medium oscu-  
lum mysticum, Cant. l. 2. osculum reconciliationis, Gen.  
XXXIII. 4. 2 Sam. XIV. 33. osculum impudentiæ, & libidinis,  
Prov. VII. 13. osculum adulatorium, 2 Sam. XV. 5 osculum  
simulatorium, 2. Sam. XX. 9. osculum proditorum, Matth.  
XXVI. 48. 49.; ut de modo oscula figendi diverso, [de quo  
conf. FESSELIUS l.c.] nihil in præsenti addam. Ex qui-  
bus, amplissimam differendi legetem nobilissimum hocce ar-  
gumentum nobis suppeditare, elucescit, quod tantum abest,  
ut brevi aliqua absolvit queat dissertatione, ut integrum potius  
tractatum requirere videatur.

## §. II.

Misis igitur omnibus his oscularum generibus, de osculo  
idolatrico in præsenti copiosius dispiciemus, quo olim adoran- Osculum i-  
dolatri-  
cum, argu-  
mentum  
buius dis-  
sertationis,  
recensetur.  
tes protensa manu idola tangere, atque deinde manum ad o-  
sculum reducere solebant. Ansam in hanc inquirendi materi-  
am suppeditavit nobis veræ pietatis cultor, JOB IUS, qui c. buīus dis-  
sertationis,  
XXXI. vitæ integratem, atque innocentiam adversus acer-  
bisimos hostes vindicaturus, v. 27. vel minimam quoqueido-  
lolatriæ speciem a se amovere studet, hinc inter alia, quibus  
vitæ puritatem defendit, argumenta, & hoc refert: נִזְבָּח תְּשַׁקֵּד יְהִי רָפֵךְ  
Si osculata est manus mea ad os meum. Et hæc  
ipsa verba sunt, ad quorum penitiorem considerationem nos si-  
ne omni ulteriori verborum apparatu B. C. D. accingimus.

## §. III.

Difficiliorem hujus oraculi sensum varia Interpretum Variae ver-  
translatio reddidit. Proxime tamen ad sensum linguae authen-  
ticas accedunt Targum Jonathani: וְרֹא לְפָנֶיךָ וְנִשְׁקָרְתָּ  
fiones pro-  
versio feruntur.

Syriaca: وَقَبَلْتُ بِي وَقَبَلْتُ بِي & verso Arabica:  
LXX. Interpretes hac versione genuinum se  
affecitos fuisse sensum crediderunt: Ei δέ χειρά με επιθεῖται σό-  
ματι μετ' Φίλησα. SYMMACHVS autem verit: Καὶ προστινησεν

η χειρ μου περι το δόμα μου. Gallica versio apud MARTIN in  
Biblio Gall, ad h. l. hæc est: Si ma main a baisé ma bouche. Anglus  
interpres translationem suam: O! my mouth hath kissed my hand; in  
margine juxta textum authenticum hac ratione correxit: My  
hand hath kissed my mouth. Discrepant quoque versiones Latini:  
Vulgata, quam etiam lequitur MARTINUS in Lexico  
Philologico, T. 2. p. 142. transtulit: Et osculatus sum manum meam  
ore meo. Sed alia ratione vertenda hæc verba existimavit KIP-  
PINGIUS in antiquitaribus Romanis, l. c. 9. §. 5. Et osculatus sum manu  
mea ore meum. COCCES JUS in Lexico, p. 272, reddidit: Et osculum  
erit ori meo manus mea. Prorsus diversam ab his translationibus  
interpretandi rationem secuti sunt JUNIUS atque TRE-  
MELLIOUS, qui nescio quam ellipsis in commate nostro fini-  
gentes, verba Hebraica hac interpretatione illustrare conati  
sunt: Et osculatum est os meum, & manus mea. Nec meliorem  
meretur censuram versio, quam in margine adjecterunt: Osci-  
lata est manus mea cum ore meo. In hoc sententiarum divertio, quæ-  
nam reliquis anteferenda sit expositio, difficile videri poterat  
judicatu: Nobis tamen, fontes accuratius insipientibus, ea  
maxime, quam sub finem §. II. dedimus, expositio arridet:  
Si osculata est manus mea ad os meum.

## §. IV.

*De emphasi.* Priusquam autem ad ipsam rei arcem perveniamus, de  
si verbi verbo בָּשַׁר, quod omnem ferme in hoc arguento paginam  
פָּרָדֵס dis- facit, quedam prælibanda sunt. Quod generaliorem hujus  
quiritur. verbi significatum concernit, non ab ludimus à FORSTERI in  
dictionario Hebreo, p. 528. 529. tentatio, qua aliqualem hujus ver-  
bi cum cognatis convenientiam indigitare allaborat. Nec o-  
mnino infeliciter iste labor ei succedit, nullam enim, nisi quæ cir-  
ca specialiorem significandi modum occupetur, in verbis בְּשַׁר,  
בְּרַקְעַנְתָּא, בְּרַקְעַנְתָּא, & בְּרַקְעַנְתָּא deprehendere licet differentiam. Si itaq;  
nostrum qualecumque super hac referendum fuerit judicium, mi-  
nime eum aberrare a vero diceremus, qui בְּרַקְעַנְתָּא generatim de  
occurrence, vel amoris causa, more osculantum, qui oscula-  
turi mutuo invicem ore occurruat, vel ex ira, more militum,  
qui

qui, dum arma tractant, mutuo sibi occurrere conふeuerunt, interpretari velit, quin potius suffragio nostro veram, atque genuinam ejus expositionem esse, pronunciaremus. Ad adorationem etiam hoc verbum non solum a *LXX. interpretibus*, verum etiam ab HIERONYMO referri, testatur PINEDA in b. l. Ex his in medium prolati, constat, duplice hoc verbum gaude-re significatu; primo enim oculandi notionem involvit; deinceps ad instrumenta quoque armorum referri solet. Prior hujus verbi acceptio in Sacro Codice frequentissima est, qua & nostro in oraculo obtinet; posterior rariuscule occurrit, sigillatim in participio Benoni, i Paral. XII. 2. Ps. LXXVIII. 9, unde & suam traxit originem vox ρῶν armatura, qua & Reg. X. 25. legitur. Ne vero ulla hac ratione in Sacris Literis metuenda sit vel confusio, vel sensus literalis ambiguitas, distinctissime a Spiritu Sapientiae hae collocata esse videmus. Nullibi enim in Divinis Pandectis verbum ρῶν bellicorum instrumentorum significatum induet, nisi cum ejusmodi conjungatur nominibus, qua & sensum istum imperare quodammodo videntur. Fidem dictis facient loca supra allegata, ubi cum Τῶν verbum istud combinatur, ut adeo summam Spiritus Sancti in oraculis suis ἀξείθαιαν perspicere, & manibus palpare liceat. Hinc facile nos suas in partes trahit PISCATOR, apud POLUM in *Synopsi Criticorum*, vol. 2. p. 319. qui ρῶν in genere significare applicari existimat, unde arma vocentur ρῶν applicatio, eo quod applicantur corpori, sive ejus, qui illis induitur, sive ejus, qui illis feritur. Quamvis autem hae sententia non omni specie destituatur, nemini tamen eandem obtrudemus, quin potius liberum cuilibet de hoc argumento sentiendi arbitrium relinquemus.

## §. V.

De voce Τῇ nulla suborta est difficultas. Quod *Particula* vero vocem Τῇ attinet, varie particula Τῇ ab interpretibus *explicata*, accipi solet. *LXX. interpretes* per Τῇ designarunt; *Symmachus* tunc autem per πῃ expressit. Et sane innumeras ferme hae particula sustinere solet significationes: A Grammaticis enim atque vocabulum diribitoribus per *ad, in, pro, contra, a, ex, de, post*, ut alias vertendi rationes silentio jam præteream, exprimitur. Quantiduo-

doquidem vero multiplex vocum significatio infelix plerarumque confusionum, atque haeresium parens est, eorum mihi maxime probanda industria videtur, qui in id operam studiumque suum collocant, ut una, simplicique significatione vocis emphasis designent, ad eamque reliquas denominandirations reducant. Idem circa particulam <sup>7</sup>, quam a praepositione <sup>7</sup> oriundam esse, nonnulli, nec sine ratione, existimant, summam exigere necessitatem, res ipsa loquitur. Hinc eleganter omnino *Magnificus D. N. D. VALENTINUS ERNESTUS LOESCHERUS*, in causis lingue Ebreap. 424. simplici hanc particulam significatione contentam esse, ostendit. Indicat enim relationem unius ad aliud in agendo, respectum rei ad alteram, quæ versus eam agit, directionem rei versus aliam. Patet igitur, & h. l. diversas primo intuitu interpretationes generaliori hac expositione facile conciliari posse. Nec temere contemnenda, vel rejicienda est specialior PISCATORIS l. c. circa hanc particulam observatio, <sup>7</sup> in sermone de osculatione regulariter præponi rei, quam quis osculatur, ut: 2 Sam. XV. 5. Reg. XIX. 18. Prov. VII. 13.

## §. VI.

Sed relicta ulteriori, cui huicdum satis immorati fuimus, verborum evolutione, ad ipsam phraseos propositæ expositio- nem proprius nos accingemus, ubi post aliorum recensitas, breviterque, ac modeste confutatas opiniones, nostram qualem- cunque sententiam lubciciemus, eandemque idoneis, quantum pro ingenii modulo fieri poterit, argumentis, corroborare *Sententia* studebimus. Primum itaque locum illorum sententia occupet, *illorum qui* qui tropice hanc phrasin explicandam esse, sibi persuadent, ut tropice ex- manus pro ejus effectu, h. e. operibus, vel operationibus ex- plicant, re- ternis, metonymice; osculari vero metaphorice, pro admirari, censetur. magnificare, sumatur; quasi dictum hoc sit de sanctulis hypocri- sis, quis sua p'sorum opera unice admirantur, exosculantur, iisque omnem cum felicitatis terrena, tum etiam beatitudinis eterna causam assignant, quo pacto Jobus verum Deum abnegari, & manifestam committi idolo- lariam testetur; prout hanc sententiam enarrat GLASSIUS

in Philologia Sacra, p. 1245. Favere huic sententiae videtur ipse Megalander noster, B. LUTHERUS, quod glossa ejus marginalis in h. l. daß meine Hand meinen Mund küssse / oder meine eigene Werke preiset, welches Gott allein zugehört / testari potest. Non longe ab hac interpretatione recedere videtur LUCAS OSIANDER, hac paraphrasi oraculum nō strum illustrans: Num eo dementia perveni, ut in occultis cordis mei recessibus meam felicitatem acceptam ferrem sanctitati & industrie mea, quod hypocrite facere solent, id enim isti, manum suam oculari. Sic & PELLICANUS h. l. ita interpretatur: Oculari manum, est opus proprium commendare, celebrare & de eo gloriaris, qua est natura hypocritarum, a DEo datum bonum sibi adscribere, quod est, nomen, & gloriam Dei blasphemare. Eidem subscrubunt sententiae FLACIUS in clavi Scripturae p. 306. CORDERUS in Jobelucio dato, p. 578. 579. LUDOVICUS DE AYLLON & QUADROS in elucubrationibus Biblicis, ad h. l. p. 351. Verum dissentire hic nobis, ob fonticas causas, liceat. & refuta. Primo enim a sensu literali sine urgente necessitate non est retinatur, cedendum, quæ, cum circa hunc locum nondum fuerit demonstrata, in clarissima litera nostrum summo jure querimus præsidium. Deinceps nimis dura atque incommoda hæc mihi expositio videtur, quoniam duplex in unica phrasí tropus, metaphora scilicet, atque metonymia asseritur, quod in Sacris Litteris inconsuetum esse, in aprico est.

## §. VII.

Non reticenda hic est singularis hujus loci expositio, Sententia quam TOSSANUS nobis suppeditat in annot. Bibl. Germ. ad h. l. Tossani, cui verba Germanica: Dass meine Hand meinen Mund küßset, ita illustrare visum fuit: Dass ich ihn nicht hätte mit Kleidung und Decke versehen / quam tamen in novissima editione, aliis insuper annotationibus aucta, & Francofurti ad Moenum, anno 1693. edita, mutatam reperi. Et sane, ne minima quidem probabilitatis specie hæc ipsa sententia se commendat, & præterea liena. totius textus cohærentia repugnat, ut adeo omni ulteriori refutatione supersedere hac vice queamus. Nimis quoque a explicatio scopo textus aberraverit, si quis cum CRAMERO in annot. nimis con-

B

Bibl. torta.

**Calvini  
sententia  
refutatur**

Bibl. verba nostra ita explicare voluerit: daß sich Job seiner Feinde Unfall nicht ersfreuet. Nec CALVINI nobis comprobatur sententia, qui verum, atque genuinum hujus loci sensum se assertum credidit, dum in ea est sententia, Jobum h. l. innuere voluisse, se nulla *superbia*, & *arrogantia laborasse*, ut solem & lunam *aspiciens*, penes se cogitarat: *Qualis & quantus sum? quis me major? quis me sublimior?* quibus ineptis cogitationibus superborum mentes adimplata esse solent, ut adeo omnem arroganticus suspicionem amovere a se Jobus voluerit. Sed quam procul hic recedat a litera CALVINUS, vanisque, & longè petitis se torqueat expositionibus, scopo Sacri Scriptoris etiam diametro repugnantibus, vel luscus videat. Idem igitur, quod circa antecedentem explicationem, & hic nos movet dubium, & dissensum imperat: Literalem scilicet sensum, nisi summa, & inevitabilis aliud luadeat necessitas, nunquam esse deferendum. Quænam autem quæso subest h. l. necessitas, ut a simplici, ac literali sensu, ad nescio quem tropicum, & figuratum, confugiendum esse existimemus? Sane contorta illa, nimisque longe petita expositio, genuinum illum, atque à Spiritu Sancto intentum hujus loci sensum non esse, satis, superque indicat. Hinc non est, cur istis assensum præbeamus Autoribus, quibus allegorica interpretandi ratio perplaet, planum enim atque literalem investigare sensum convenientius esse ducimus.

### §. VIII.

**B. Seb.  
Schmidii  
sententia.** Parum absuit, quin nostram faceremus B. SEBASTIANI SCHMIDI in commentario, ad h. l. p. 1197, sententiam, quam etiam amplectitur D. JOHANNES OLEARIUS in annot. Germ. ad h. l. nec non DN. M. STARCKIUS in Ebraismis Etymologicis, p. 172. 173, quam satis videri speciosam, lubens agnolco. Hanc enim Jobi sententiam esse tradit: *Nunquam se, sive corde, sive manus sua, tantum indulisse ori suo, ut assentaretur soli splendenti, & lunati cœni, h. e. iis, qui in splendore crescebant, & versabantur, & favorem eorum capire blandis verbis cum iniquitate.* Confirmat hanc expositionem tum ex phrasi, quod non dicatur os osculari manum, sed manus

**S. argu-  
menta.**

nus osculari os; tum ex phraseos applicatione, quod assentatores cor, & manum ori suo submittant, ut cor, & manus indulgent ori, consentiantque in vicium assentationis, assentationesque iplas quascunque. Sed enim vero, quod pace maiorum eius dixerim, utut speciola, minus tamen solida hæc explicatio mihi videtur. Ut reliqua, quæ huic assertioni contrariari videntur, argumenta silentio præteream, vel ipsa textus συνάφεια, & immediate in oraculo nostro subsequentia verba argumentum aliquod in contrarium mihi suppeditant: Cum enim Jobus induit, se, dum hoc ipsum celus perpetrasset, ut manus os suum oculata fuisse, hoc ipso abnegasse Deum in supernis; atrocius certe crimen illud infert, quam ut assentationi nudæ phrasis hæc επι παλιωτέρα applicari possit. Neque vero phrasis hæc, licet singularis, huic explicationi favet, quin potius pro nostra, quam mox subungemus, sententia candem militare apparebit. Phraseos autem hujus applicatio allegoricas magis allusiones, quam genuinum sensum literalem nostro iudicio insinuat.

*refelluntur.*

### S. IX.

Hinc magis nobis illorum arridet sententia, qui ad idolatriam hæc verba referenda esse, confultius ducunt, ut Jobus, se nullum unquam divinum honorem astris, vel clam coagitatione, vel palam adoratione, exhibuisse testetur. Oscula enim, etiam religiosa, idolis olim data esse, verbis omni exceptione majoribus, multoque clarissimis Sacra literæ afferunt; quod ex evolutione locorum i Reg. XIX. 18. Hos. XIII. 2. dispensat. Oculabantur autem in adoratione manum imprimis illelius, quem adorabant, significantes, se ab ejus manibus expectare bonum: Cum vero manum alterius osculari non liceret, suam pro aliena eodem significatu osculabantur. Atque hoc osculo, veluti luculento aliquo signo, indicabant, notante ESTI O, se cupere, si possent, luminaria illa osculari: Sed, cum sidera illa contingere, vel e propinquuo osculando

*Nostra sententia de idolatria adducatur.*

*ex antiquitate declaratur.*

adorare, impossibile fuerit, manus è longinquò versus illa pro-tenderunt, & mox, quasi luce illorum perfusas, osculati sunt, ita ut palma quæ ad Deum conversa fuerat, reverteretur ad os. Dissentit tamen hic OUZELIUS in notis ad Minutii Felicis, Octavium, p. 13. qui idololatras manum prius osculari solitos fuisse, actum dénum versus illum, quem adorabant, porrexisse, contra LIPSIUM l. 2. electorum. c. 6. p. 466. cum SALMASIO in notis ad Flavii Vopisci Probum, p. 441. asserit. Ille nimurum con-svetus fuit apud idololatras adorationis ritus, ut, cum fanum aliquod præterirent, manum ori, capite inclinato, admoverent, atque ad oculum referrent, & pavido murmure pacem, & veniam horum luminarium deprecarentur. Sic in Syria mo-rem esse, orientem salutandi solem, docet TACITUS l. 19. annal. p. 319. Pari ratione TURNEBUS adversar. l. 18. c. 8. & l. 25. c. 1. veteres solitos scribit, in portis urbium aliqua Deorum simulacula statuere, quæ, qui urbes inibant, aut inde exibant, ri-tu quodam religionis, facta dextra manu salutare, moxque ma-nus ad oculum referre consueverant. Non incongruum erit, elegantia LUCRETII verba huic adducere:

Tum portas propter, abena  
Signa manus dextræ ostendunt attenuari  
Sepe salutantum tactu, preterque meatum.

Relpicit huc MINUTIUS FELIX, in Octavio, p. 12. Cecilius, inquiens, simulacre Serapidis denotato, ut vulgus superstitionem soleat, manum ori admovere, oculum labii pressit. Et APULEJUS apol. 1. Si fanum aliquod prætereat, nefas habet, adorandi gratia ma-nus labris admovere. Contentit PLINIUS l. 28. c. 2. In ado-rando, dicens, dextram ad oculum referimus. Nec ablidit LU-CIANUS in Demosthenis encomio: Καὶ τὴν χεῖρα τῷ στόματι προσ-αγαγούντες, ὅπερ ἀλλ' ἡ περιστώνεν ὑπελάμβανον. b. e. manum ori admoventes, non nisi adorare eos existimabant. Et in libro περὶ Συστῶν. Οὐδὲ πέντε ἵλατο τὸν θεὸν, Φιδίας μόνος τὸν δῆλον δεξιάν. b. e. Pauper vero placavit Deum, osculans tantum dextram ejus. Nec non in libra περὶ δεκάστοις. Καὶ τοῦτο πάλιν εἰστιν ἀναγνώσσει προσ-

εύχοντες τὸν ἡλιον, ἐχ ἀσπεργμένης τὴν χεῖρα καθαίται, ἵζεμε.  
 Θα ἐνελθή ἡμῶν ἔνας τοῦ ἐνυχίου. b. e. Et Indi, postquam manus surgentes  
 adorant solem, non sicut nos manum osculantem existimamus, perfidum  
 esse nostrum votum. Addunt equidem nonnulli, qui hunc ritum  
 paulo sollicitius evolverunt, totius corporis conversionem, quia  
 apud Romanos dextrorum, apud Gallos autem sinistrorum  
 fuerit usitata, & sessionem primoris digitus in pollice, quam ve-  
 ro lententiam nostro comprobare calculo non possumus, quin  
 potius, cum simplicissimum quodque antiquissimum sit primi-  
 tus fuisse contentos, simpliciter dextram ori admovere, sine i-  
 sta vel corporis conversione, vel primoris digitus in pollice sessi-  
 one, longe verosimilius esse, cum GER HARDO JOHAN-  
 NE VOSSIO, in libro, *de origine, ac progressu idolatriæ*, l. 2. p.  
 319. existimamus. Eandem nobilicūm circa hoc argumentum fo-  
 vent lententiam HIERONYMUS SP. III. Tract. 8. epist. 33. & *Adversarij*  
 l. 6. in *Hoseam c. 13.* nec non *apol. I. adversus Ruffinum*, & qui Hieronymi consentien-  
 tate, teste Editore, Sichardo in *prefatione*, & *CAVE Scriptorum testimoniis*  
*Ecclesiasticorum p. 280.* vixit, PHILIPPIUS presbyter, in *Jobum p. 29. VI-* tur.  
 NARIENSES in b. I. GLASSIUS in *Philologia Sacra*, p. 1245.  
 qui & MOLLERUM in *Psalm. II.* consentientem citat, CA-  
 LOVIUS in *Bibliis Germ.* ad b. I. LIRA in *annotationibus ad b.*  
 I. PINEDA in b. I. GORDONUS in *comment.* ad b. I. p. 578.  
 FESSELIUS in *adversariis sacris*, l. 3. c. 7. p. 270. MENOCHI-  
 US in *comment.* ad b. I. p. 232. & in libro, *de Republica Hebraeorum*, p. 397.  
 392. KIPPINGIUS in *antiquit. Rom. I. i c. 9. § 5.* DAVID  
 MARTIN in *Biblis Gall. ad b. I.* D.N.M.ELSWICH in *dissert.*  
 de Melchisedeco, ab Hulio in *gentili mythologia frustra questio*, §. 8. EL-  
 MENHORSTIUS in *notis ad Minutii Felicis Octavarium*, p. 11.  
 AUGUSTINUS STEUCHUS EU GUBINUS in *Jobum p. 155.* DIONYSIUS VOSSIUS in *notis, ad Maimonidis*  
*tractatum, de idololatria, c. 3. §. 9 p. 46.* JURIEU, dans *histoire Critique des dogmes & des cultes*, p. 546. SCHINDLERUS, in *Lexico Pentaglotto*, rad. *ΨΩ* p. 178. COCCIJUS in *Lexico p. 272.* DY-  
 KE im *Gehennauß des Selbst-Betrugs* / p. 242. an HAMEL

B 3 33

in annot. Bibl. ad b. l. GEIERS in comment. in Psal. II. p. 29. 30. CASTALIO, DRUSIUS, & GROTIUS in b. l. OUZELIUS in notis ad Minutii Felicis Octavium, p. 14. His ex Hebreorum Magistris se jungit R. ABEN ESRA in b. l. verba illa:  
 מין מפני עבורה זהה כי ותשך ידו לרפי  
 רוביו הקרטונום טומ באו הנכאים חוו עוכרים  
 שני המאורות על כן אם נס היה עין פלורי  
 כי בחשתו לאך ממער ווועני שוויז למעלה:

b.e. Species e speciebus cultus alieni, nam multi antecessorum, antequam venerunt Prophetæ, servierunt duobus luminaribus, ideo dicitur: Etiam haec iniquitas est judicis, nam abnegasset Deum e supernis, & sensus hujus vocis e supernis est de luminaribus. Vmbram hujus ritus videre licet apud Turcas, ubi servi adhuc hodie dominorum suorum dicuntur osculari manus; ut & apud Arabes in Palæstina, qui viatores, a te pecunia multatos, adiungunt, ut oscularentur multantium manus, sinistrumque pectoris adiatus. Ita, qui Principem salutabant, dextram, qua attigerant ejusdem purpuram, faviabantur, teste PAN CIROLLO l. i. rerum memor, p. 212. vid. GEIERS in comment. ad Psal. II. p. 30. Histriones quoque pantomimos, dextra labris admota, populum adorare solitos, ut & aurigas, loco dextræ, flagellum dextra comprehensum, osculatos, atque hoc modo prætereuntes veneratos fuisse, docet OUZELIUS in notis, ad Minutii Felicis Octavium, p. 14.

## §. X.

*Probatur* Ne vero nuda interpretum auctoritate, quam admodum imbecille suppeditare argumentum, non diffiteor, nostra stram fulcire sententiam videamus, argumenta nonnulla in medium proferemus, iisdemque assertioni nostræ robur aliterius. Et primum quidem ex ipsa textus συναφίᾳ firmissimum, atque invictum mihi enascitur argumentum. Neque vero quenquam hic contraria subscripturæ sententia crede-

*Umbra  
hujus ritus  
ad hunc ho-  
die de-  
monstra-  
tur.*

diderim, eam namque, quæ antecedentibus, & consequenti-  
bus accuratius respondet, sententiam, præ ceteris eligendam  
esse, omnes Exegeræ suadent. Quodsi itaque & nostro in ora-  
culo penitiori eadem consideratione perlustrabimus, pro no-  
stra illa militare sententia, in aprico erit. Quod immediate  
antecedentem versiculum concernit, negat ibidem Jobus, se  
aspexisse lucem, cum splenderet. Respicit his verbis procul  
dubio ad Deut. IV. 19. quo in loco severissimum Divini Numinis  
mandatum occurrit, ne Israëlitæ oculos suos versus coelum tol-  
lant, solem, aut lunam, aut stellas aspiciant, atque colant. A  
summo hoc idolatriæ gradu, dum immunem se reddere Jo-  
bus allaborat, conjungit versum 26. cum 27. & vel minimam  
quoque idolatriæ speciem a se amovet, quod ex præfixa par-  
ticula  $\gamma$  per pronam consequentiam elicitur, licet enim  $\gamma$  istud  
conversivum esse, nemo non fateatur, hoc ipso tamen copulan-  
di usum non amittit. Nec consequentia in sub sequente com-  
mate verba nostram deserunt sententiam, quin potius fortiter  
eandem confirmant. Testatur enim Jobus, se, si atroci hocce  
peccato suam contaminasset animam, hoc ipso Deum abnegasse  
supremum, quæ omnia clarissima, & vel manibus palpanda  
manifestæ idolatriæ documenta esse, a nemine, vel leviter ver-  
baista considerante, negari posse crediderim. Dum igitur tan-  
tum in antecedentibus, & consequentiibus deprehenditur præ-  
sidium, ipsa sane necessitate adigimur, ut & illa, quæ nostro in  
oraculo continentur, verba, de cultu, & oculo idololatrico,  
juxta ritum, antea a nobis descriptum, interpretemur.

## S. XI.

Ad alterum cum jam deveniendum est argumentum, (2) & na-  
quod postræ defendendæ sententia inferviat, ad nativam verbo-  
rum significationem non immerito provocamus. Ad hanc <sup>tivaver-</sup>  
enim utroque respiciendum est oculo, si quis felices, atque exo-  
ptatos in exegesi sacra facere progressus intendat; hanc etiam <sup>grificati-</sup>  
omnibus tropicis, & allegoricis verborum allusionibus antefe-  
ren-

rendam judico. Quod igitur osculum concernit, signum illud antiquitus fuisse amoris, obsequii, & adorationis, ex Gen. XL. 40. 1 Reg. XIX. 18, Psalm. II. 12. abunde constare arbitror. Ex quo judicio nostro relinquitur, grave subesse fundamentum, ut & h. l. suetam illam denominandi rationem amplectamur, & per adorationem osculum illud interpretemur. Nec ullam perspicere possum causam, cur voces illas manus, atque oris tropice, & figurate accipiendas esse, mihi persuadeam. Omnia enim prone, concinne atque accurate fluunt, nec ultra reperiri poterit difficultas, quæ ab amplectendo naturali, & literali vocum significatu nos absterrere poscit, hinc nativam verborum significationem sequi, satius esse existimamus.

## §. XII.

*Consensus Symmachi* Perspexit nostræ sententia veritatem, atque argumentandi robur cognovit SYMMACHUS, qui, sensum hujus oraculi fecutus, Hebræum verbum πύρινον per Græcum πυροσκυνὴν apte & idonee transluxit. Quamvis enim exiguum Græca versioni tribuendam esse autoritatem, facile agnoscam, non tamen omnino nulla est, quin potius in nonnullis locis eleganter Hebræi textus ἐπεξηγήσει nobis subministrat. Neq; vero in sola SYMMACHI autoritate nostram inniti interpretationem quis credat, sed potius hoc argumentum cum duobus præcedentibus coniunctum stringere mihi videtur. Quandoquidem enim antecedentia, & consequentia hoc in oraculo verba nostram corroborant sententiam, & præterea literalis verborum significatus sensum a nobis erutum quodammodo imperat; imo SYMMACHUS in versione sua Græca, ritum ex Hebræis supra a nobis demonstratum, eleganter confirmat; non de nihilo esse existimaverim, si quis h. l. ad SYMMACHI autoritatem provocare velit. Ex dictis enim constat, non contrariari versionem illam nostram in oraculo Scripturæ, verum dextre eandem explicare, & obscure aliquin proposita clarius proponere.

## §. XIII.

## §. XIII.

Non tamen omni videntur destitui ratione, qui ad idolatricum solis ac lunæ cultum hoc comma non referunt, sed eam potius tueri allaborant sententiam, non cogitasse Jobum, se, quicquid haberet divitiarum, a sua habuisse solertia, & manu, ut divitias, atque potentiam luam, non summæ Divini Numinis benignitati; sed dextræ suæ, quæ res magnas esset constanter agressa, & easdem obtinuisse feliciter, tribuendam existimaverit. Obvertunt enim, ut colorem huic sententię concilient, (1) nullum hic esse sermonem de cultu idololatrico, & adoratione solis, quia, cum suas narraret Jobus virtutes eximias, non videbatur idolatriæ odium positurus: Quid enim tantum est, impietatem illam exhorruisse, quam etiam illi, qui profligatisimis essent moribus, & omnium vitiorum turpitudine contaminati, averfarentur? Sed enim vero merito in hoc argumento desideratur connexio. Nonne enim idololatriæ odium vel primum inter virtutes locum jure quodam obtineat? Quid igitur obstat, quo minus Jobus, virtutum suarum catalogum neclens, ab omni idolatriæ suspicione, quam tum temporis admodum regnasse, in confessio est, liberum se pronunciare queat? Nec quicquam sententiae nostra officit, quod etiam illi, qui profligatisimis essent moribus, idololatriam averfari soleant. Ut enim silentio præterea permultos improborum hominum idolatriæ crimen haud raro incurre; id saltem monuisse sufficiat, quod illi etiam, qui improbitate plurimos antecellunt, nonnunquam virtutum quarundam, e. g. mansuetudinis, lenitatis, castitatis, &c. speciem præferant. Quemadmodum igitur summæ laudis est, omnes lectari virtutes, licet quandoque impii unam, vel alteram affectent; ita pariter in Jobo reprehendi nequit, quod idolatriæ vitium a se amoveat, licet impii eidem virtuti studeant, nam & in hoste, atque improbo laudanda virtus est. Opponunt (2) contra sententiam nostram, nullam subesse causam, cur Jobus hanc idolatriæ suspicionem tanto studio a se depelleret, cum illa non fuerit

ab

C

*Objec<sup>tio</sup> 2.*

ab amicis objecta ; & reliqua . quæ de se prædicavit , aperte  
 confundent , quæ ab insultantibus amicis in maledictis studierat.  
**refellitur.** Maximam sane hoc argumentum invenit speciem , sed videbi-  
 mus , quid habeat in recessu , facile enim hoc ipsum corruec-  
 fundamentum , dummodo singula recte obseruentur . In eo  
 namque jam erat Jobus , ut ad Bildadi Suicensis objectiones re-  
 spondaret , qui generatio omnes homines coram Deo pecca-  
 tores esse asseruerat : Cum igitur se integrum vitæ , teeleris-  
 que purum demonstrare vellet , necessario idolatriam , ut  
 pote tum temporis admodum usitatam , a se amovere debuit .  
 Hinc a scopo alienum est , quod obvertitur , Jobum ad ea tan-  
 tummodo respondere capita , quæ singulariter ipsi fuerant  
 objecta . Istam enim instantiam vel prima hujus capitis in-  
 speccio refellet , ubi in coimmatre primo ab adulterii criminis se  
 liberare allaborat , neque vero unquam adulterium ab amicis  
 ejus ipsi objectum fuisse memini . Ex quo reliquuntur , a-  
 renosò hanc objectionem inniti fundamento , nostramque sen-  
**Objectio 3.** tentiam firmo adhuc consistere talo . (3) Obverti nobis so-  
 let , osculum nimis esse familiare , ut ad adorandi ritum , qui  
 reverentiam involvit , applicari non posit . Sed tantum ab-  
 est , ut hanc nostram faciamus sententiam , ut Scriptura po-  
 tius auctoritati , & canæ antiquitati tutius nos inhætere posse ,  
 credamus . Veteres certe Romani usque adeo fuere religio-  
 si , ut cuiquam temere osculum dare , nefas existimarent , ne  
 sponso quidem , nisi semel tantum licet , confirmandorum  
 sponsaliorum causa , teste HOFMANNO in Lexico universali T.  
 III. p. 489. Et , si Sacrum evolvamus Codicem , dilucida , o-  
 mniq[ue] exceptione majora asserti nostri deprehendemus ve-  
 stigia , osculum summae , ac divinæ venerationis notam fuisse ,  
 conf. i Reg. XIX. 18. Hof. XIII. 1. Sane , quando Samuel Saulem  
 osculari , i Sam. X. 1. legitur , hoc ipso non familiare quid indicat ,  
 sed Dominum eum nunc suum esse testificatur . Geminum huic  
 in Novo Fœdere reperimus exemplum in proditore Juda , qui  
 oculo

oculo Christum, licet proditorie, excipiebat, Luc. XXII, 47. Sicut enim proditores quam optime signis externis aliorum captare benevolentiam norunt, ita & Judas omnes eo dirigebat cogitationes, ut eadem ratione Servatori optimo impone ipse liceret: Hinc commodam se naclum fuisse occasionem, sibi persuadebat, si oculo, tanquam conuento reverentiae, honoris, & adorationis signo, suam Christo comprobare obedientiam anniteretur, vid. GUSSETIUS in comment. lingue Ebreæ, p. 542.

## §. XIV.

Ulterius nostram confirmat sententiam locus Ps. II, 12. *Locus Ps.* quo in loco hæc verba: בְּרִירָה leguntur. Nostri jam non II, 12, ex-sertatio instituti, ut diversas circa vocem בְּ interpretatio-plicatur. nes hic tangamus, cum eo latem sine hic locus a nobis adducatur, ut nostram de oculo sententiam, antea a nobis adductam, stabiliamus. Literam presit AQUILA, dum Hebraum verbum יְשַׁׁב simpliciter per μαλαφισταις vertit; sed ad sensum magis, quam vocem respexit SYMMACHUS, dum hanc vocem ierum elegantissime per προσκυνησαις expresit. Nimirum adorationem h. l. intelligendam esse, in propatulo est; de Filio enim Dei sermo est, quem cultu adorationis exosculari, ne ira ejus exardestat, decet. Ita ergo Psalmographus, idololatrarum corrigens vanitatem, sacrum hoc subjectionis, religiosique cultus symbolum, non alii, quam vero DEO, Messia, deferendum esse, indicare voluit, notante HOFMANNO in Lexico Universali; T. III. p. 490. Respicit huc HIERONYMUS, cuius verba apud OUZELIUM in notis ad Minutii Felicis Octavium, p. 13. addere in præfenti liceat: Pro to, inquiens, quod juxta Symmachum, Theodotionem, vertimus: Adorantes, Aquila interpretatus est καταφιλεῖτες i. e. deosculantes: Qui enim adorant, solent deosculari manum suam, quod Job fecisse se negat.

## §. XV.

Curiouse hac occasione a nonnullis de origine verbi La-

C 2

origo ver.  
bi Latin  
adorare in  
tini, vestigatur.

tini, *adorare*, disquiri solet. Non est hujus loci, varias variorum recensere opinones, quas suo loco relinquimus, de ea tantum sententia solliciti, numne ab admotione manus, orifera, suam hoc verbum originem trahere queat. HERALDUS in *notis ad Minutii Felicis Octavium*. p. 13. falli eos, qui huic subscribunt sententiae, existimat. WOWERUS contra in *notis ad Minutii Felicis Octavium*, p. 12. una cum JURIEU dans *histoire Critique des dogmes, & des cultes*, p. 546. & HOFMANNO in *Lexico Universali*, T. III. p. 490. adorandi verbum hinc derivant. His & nos nostrum adjicere calculum, nulli dubitamus. Vix namque commodiorem, aptioremque verbi hujus derivationem reperire licebit, siquidem haec etymologia, & derivandi ratio ipsam verbi naturam, & obviam semper significationem apprime insinuat: Adorare enim nihil aliud est, quam ad os referre, i. e. osculari. Quicquid autem hujus rei sit, nostra parum interest, nec morose repugnabimus, sive quis hanc, sive aliam derivandi rationem probabiliorrem esse existimet, probe scientes, nil certi, atque apodictici in hisce afferi posse, sed omnia in majore, quam quis in medium proferre poterit, probabilitate unice inniti.

## ERRATA

- p. 6. lin. 1. pro χεῖς με leg. χεῖρ με.
- p. 9. lin. 14. pro elucio dato leg. elucidato.
- p. 12. lin. 17. pro facta leg. tacta.
- p. 13. lin. 2. pro τυνη leg. την.
- Cetera B. L. ipse corriget.

## COROLLARIA PHILOLOGICA.

### I.

Nomen *Mosī* a radice Hebræa מֹשֶׁה originem suam traxisse, ex Exod. II, 10. abunde liquet, neque obstat, sive quis cum PFEIFFERO nomen hoc a Matre, sive cum aliis a filia Pharaonis inditum ipsi esse existimet.

### II.

Non ergo assurgimus illis, qui nomen hoc ab Ægyptiacis vocibus *Mo*, *aqua*, & *Ysē*, *servatus* derivare non dubitant.

### III.

Neque contemnendam illorum conjecturam existimamus, qui Mosen in participio præsenti מֹשֶׁה vocatum esse assertunt, quia non solum extractus fuit ex aquis, sed & ipsemet deinceps vocatus, qui populum Israelis ex servitute Ægyptiaca extraheret. Conf. GLASSIUS in *Philologia Sacra*, p. 1295.

### IV.

Neque temere admittendam censemus GR O-  
C 3 TII

TII conjecturam, nomina peregrina, adeo-  
que & Mosis nomen, Ægyptiaca voce prola-  
tum, Hebraico sermone à Mose esse expressa,  
Ebræorum gratia, in eundem significatum, quem  
in primæya lingua obtinuerant,

V.

In Libro Jobi non veram narrari historiam, sed  
plurima, ut in comœdiis mos est, ficta & veræ  
historiæ assuta esse, minime largimur.

VI.

Lutheri ergo sententiam nostram facimus, qui  
librum Jobi veram esse historiam, atque in  
rei veritate, & ipso facto hæc ita contigisse  
asserit.

VII.

Neque nobis adversatur, quod Lutherus librum  
Jobi, velut fabulæ argumentum, ad propo-  
nendum exemplum patientiæ, appellasse per-  
hibetur. Posito enim, hæc ita se habere, ele-  
gantia HIERONYMI verba totam deci-  
dent

dent controversiam: Veteres interdum nomine fabularum non res factas, sed veras narrationes appellant, quomodo Luca ult. dicitur: Et factum est, dum fabularentur. Minutus Felix initio dialogi, quem Octavianum inscripsit, fabulam vocat veram quandam narrationem nescio cuius navigationis, Cont. GERHARDUS in exegesi, Loco de Scriptura Sacra, §. 133. p. m. 31.

## II X.

Nulla est contradic̄tio locorum Gen. XLVII, 31. & Hebr. XI, 21. quando in priori Jacobus se inclinasse dicitur in lecto; in posteriori vero verus sceptrum, seu baculum Josephi. Diversæ enim s̄æpe circumstantiæ in diversis Scripturæ locis revelantur, adeoque & h. l. in Genesi revelatur circumstantia loci; ast in epistola ad Hebræos circumstantia termini ad quem.

## IX.

מַשְׁוִיחַ seu salvatores Obad. vers. ult. optime judicio nostro per Apostolos & Ministros Ecclesiasticos explicantur. Licet enim κυριακὸς, & primario unicus tantum sit Salvator, Christus;

stus; recte tamen idem nomen ὄγανον, & dic-  
novinā de Apostolis pronunciatur, urspote qui  
& ipsi sunt ministri salutis per Evangelium,  
I. Tim. IV, 16. Jac. V, 20. Jud. v. 23. I. Cor. IX, 22.  
X.

Aves ex terra, non ex aqua productas esse, verbis  
omni exceptione majoribus, ex Gen. II, 19. de-  
monstratur, quo in loco, cum stylus histori-  
cus, & simplex obtineat, nulla admittenda el-  
lipsis mihi videtur. Nec ullum conspicitur pa-  
trocinium in loco, Gen. I, 20. Conjuguntur  
enim ibidem pisces, & aves per Vau, non ob  
identitatem principii materialis, sed ob eun-  
dem, seu communem diem productionis, ut  
cum PFEIFFERO loquar in dubiis vexatis,  
p. 12. Ut taceam, per accentum Atnach mani-  
festam styli diversitatem innui, & οὐ non  
esse objectum verbi præcedentis, sed subje-  
ctum prædicati sequentis.

artiliq; plu. dicitur. ☺ ☺ . ☺ ☺ .






99 A 6989



56,

Zettel ✓



בג' 46

**DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> PH<sup>I</sup>LOLOGICA**  
 DE  
 וְשִׁקְתָּה יְדֵי לְפָנָה  
 h. e.  
**OSCULO MANUS ORI  
DATO,**  
*Occasione Jobi XXXI, 27.*  
 QVAM  
**IN ALMA PHILYREA**  
**CONSENSU INCLYTI SAPIENTUM**  
**ORDINIS**  
*PUBLICÆ ERUDITORUM DISQVISITIONI SUBFICIENT*  
**PRÆSES**  
**M. GERHARDUS HERMANNUS**  
**MÈNCKE,**  
*OLDENBURGENSIS,*  
 ET  
**RESPONDENS**  
**JOHANNES HENRICUS Herbst/**  
*Ottervvischenf. Misn.*  
*ad d. XIX. Sept. A.R.S. MDCCXI.*  
 ——————  
*LIPSIÆ,*  
*LITERIS BRANDENBURGERIANIS.*

	Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
	Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black													

**Farbkarte #13**

**B.I.G.**